

nec intromittit se de archiepiscopatu, quia ipso facto esset privatus omni suo iure. Sed imperator confirmatur per pappam^{y)}, sicut supradictum est capitulo CCCLVII²⁴⁾; ergo totum ius imperatoris dependet a summo pontifice. Unde in Consilio vienensi²⁵⁾ sic^{z)} ait papa: 'Nos autem tam ex superioritate, quam ad imperium nos habere non est dubium, quam ex potestate, in qua vacante imperio imperatori succedimus, et nichilominus ex illius potestatis plenitudine^{a)}, quam Christus rex regum et dominus dominantium nobis licet inmeritis in persona beati Petri concessit^{b)} et cetera. Ex hoc manifeste apparet, quod papa est superior imperatore de iure divino; et de hoc dicit Iohanes Andree²⁶⁾: 'Vide, quod etiam approbatus ab ecclesia non est imperator, donec unctionem et coronationem accipiat ab ecclesia'; quod patet per verba Henrici sexti, qui tempore instantis coronationis sic dixit²⁷⁾: 'Ego Henricus rex Romanorum, anuente deo futurus imperator' et cetera. Ergo nullus est imperator nec utitur bulla aurea²⁸⁾ nec portat insignia imperialia, nisi quando est per papam coronatus; ex quo patet quod papa est superior imperatore. Quinta ratio est talis: ius divinum, quod Christus statuit, nulla humana ratione vel statuto vel usurpatione tolli potest; sed papa est dominus temporalis de^{c)} iure divino, ut habetur supra capitulo CCCLIII²⁹⁾; ergo papa est superior imperatore. Sexta ratio est talis: ius naturale, quod dicit^{d)} ipsa ratio, est fundamentum et origo omnis iuris positivi et, quicquid deviat a iure naturali, non est ius sed abusio iuris; sed papa est dominus et superior omni homine de iure naturali, ut supra probatum est capitulo CCCLIII³⁰⁾; ergo talis superioritas a statu papali seperari non potest. Septima ratio talis est: nullus, nisi sit superior altero, non habet in^{e)} ipso aliquam iurisdictionis auctoritatem. Si ergo papa non est superior imperatore, non potuit Grecos privare imperio nec imperium ponere in Alamania; et per consequens Karulus magnus numquam fuit imperator nec aliquis Alamanus³¹⁾; quicumque ergo imperator^{f)} diceret, quod papa non est superior imperatore aut dominus eius, dicit se esse^{g)} tyrannum et non imperatorem verum. Octava ratio est talis^{h)}: illud quod dixeruntⁱ⁾ prophete in veteri testamento sub aliquibus figuris, erant signa illorum, que fieri debebant in novo testamento dicente apostolo³²⁾, quod illis omnia contingebant in figura^{k)}. Secundum³³⁾ Daniellem secundo c. 1)³⁴⁾ dicitur, quod lapis excisus de monte sine manibus contrivit et in pulverem^{m)} redegitⁿ⁾ statuam, cuius capud erat ex auro, pectus et brachia erant ex argento, venter et femora erant ex ere, tibie erant ex ferro, pedum una pars erat terrea, altera ferrea; et post iste lapis crevit in montem maximum. Et exponit Daniel³⁵⁾ et magister in ystoriis³⁶⁾ et doctores^{36a)}, quod per aurum designatur imperium Babilonie, per argentum imperium Persarum, per es imperium Alex-

y) personam A z) sicut A

a) potestate plenitudinem A b) om. O c) om. A d) ditat AO
e) ab O f) qui add. A g) om. O h) talis est tr. O i) perdid-
derunt A k) in figura om. O l) c. om. A m) pluribus O n) redi-
git A

24) In A cap. 354. 25) Clem. 2, 11. 2. 26) Clem. 2, 9 c. un. Gl. ad v. Futurus. 27) Clem. 2, 9 c. un. 28) Vgl. CM cap. 726 Anm. 3. 29) In A cap. 351. 30) In A cap. 350. 31) Vgl. GA cap. 108 Anm. 4. 32) 1. Cor. 10, 11. 33) Secundum — terra vgl. Tholomeus von Lucca, DC 49, 6—50, 6 und De reg. pr. 3, 10 S. 50. Zu dieser Daniellexegese des Tholomeus vgl. W. Goez, Translatio imperii (1958) S. 215 ff. 34) Dn. 2, 31 ff. 35) Dn. 2, 37 ff. 36) Petrus Comestor, Hist. scholastica, lib. Danielis 2, Migne PL 198, 1449. 36a) Vgl. Tholomeus von Lucca, DC 49, 7 mit Anm. 1.